



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio III. De perfectionibus Visionis Beatæ, prout est cognitio judicativa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

ratio est, quia assimilatio habitualis antecedit operationem potentiae, illamque constituit in actu primo, sicque fieri potest, aut ab specie, aut ab objecto immediate, si sit maxime praesens, & proportionatum, qualis est Essentia divina: at vero assimilatio formalis, cum sit ab intellectu dicente, seu loquente, per eundem necessarium fieri debet; non enim datur locutio absque productione verbi; ac proinde per objectum, quod actu intelligitur, formaliter suppleri nequit.

66. **Obijcies 4.** Formalis ratio visionis quae visio, seu cognitio est, constituitur formaliter in actione; siquidem cum prout sic sit actualis vita potentiae, necessarium constituitur in actu vitali, qualis est actio ipsa; sed haec a nullo dicitur formalis similitudo, ut constat; ergo &c. Respondeo negando maiorem, ut patet ex dictis in Logica tract. 5. d. 1. an. 142. Neque ut visio, aut quavis alia cognitio sit actualis vita potentiae requiritur, quod includat formaliter actionem, sed satis est, quod sit formalis repraesentatio objecti recepta in potentia proportionata, quod stare potest absque actione vitali ut formaliter inclusa, licet sit conditio logicè requisita, prout diximus loco citato.

SECTIO III.

De perfectionibus Visionis Beatae, prout est cognitio iudicativa.

67. **D**IFFICULTAS 1. Utrum Visio Beata sit cognitio verè, & propriè iudicativa? Affirmative. Ita D. Thom. q. 8. de Verit. art. 1. ad 14. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 8. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 6. dub. 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 3. Zummel 1. p. q. 12. art. 7. q. 2. conclus. 4. & 5. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. & alii. Probatur primò, quia Visio Beata est cognitio perfectior qualibet cognitione, tam naturali, quam supernaturali humanà, vel Angelicà non beatificà; sed haec perfectionem iudicii de facto participat; ergo & illa.
68. Probatur secundò, quia ratio iudicii maxime extollit perfectionem cognitionis, utpotè certificans intellectum de veritate, & falsitate objecti cogniti, quod non praestat apprehensio; ergo illa, & non haec concedenda est Visioni Beatae, quae ceteras cognitiones creatas excedit in perfectione.
69. Probatur tertio, quia Visio Beata, saltem partialiter participat rationem beatitudinis nostrae supernaturalis; sed non potest esse perfecta beatitudo, nisi quae cognitio iudicativa est eorum, quae de facto beatas mentes beant, ut in Materia de Beatitudine latè probatur, & nosibi probabimus; ergo &c.
70. Oppositum tenent Adam. q. 2. Prolog. ad 2. probat. 4. supplem. Gabr. in 4. dist. 49. q. 3. dub. 1. art. 3. Ocham. in 4. q. 13. art. 5. ad 1. dub. & alii: pro quibus: **Obijcies 1.** Iudicium, quod iudicium est supponit pluralitatem partium in objecto, seu enuntiabili, quas affirmando conjungat, aut negando separet; sed in objecto beatifico, cum sit simplicissimum, pluralitas admitti non potest; ergo circa illud solum est apprehensio, & nullo modo iudicium. Respondeo ad hoc, ut iudicium componat, aut dividat sine compositione formali, sed solum virtuali, qualis datur in Visione Beata, satis esse pluralitatem virtuales partium enuntiabilis, qualis datur inter perfectiones beatificas, ut alibi diximus, & ex infra dicendis constabit.

Tom. 1.

Obijcies 2. Visio Beata est notitia intuitiva objecti, saltem primarii, ut supra diximus; ergo solum est apprehensiva; siquidem ratio cognitionis intuitiva, aut abstractiva solum sequitur apprehensionem, non autem iudicium. Respondeo licet ratio intuitionis ut sic sequatur per se solum apprehensionem, hoc non tollere, quominus etiam reperiatur in iudicio, saltem quando hoc rationem apprehensionis, & iudicii essentialiter participat, ut participat Visio Beata, de quo statim.

Obijcies 3. Iudicium non stat sine compositione, aut divisione; sed Visio Beata, cum sit actus in se valde perfectus, omni prorsus compositione caret; ergo &c. Respondeo Visionem Beatam carere omni compositione formali, non autem virtuali: pro quo fit:

Difficultas 2. Utrum Visio Beata perfectiones apprehensionis, & iudicii formaliter includat cum omnimoda simplicitate actuali, cum complexione tamen, & multiplicitate virtuali? Affirmative. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 12. cap. 1. n. 6. P. Valent. tom. 2. d. 1. q. 3. punct. 4. sine. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 8. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. Egid. tom. 1. lib. 4. q. 9. ar. 3. §. 2. & alii. Probatur prima pars, primò a priori, quia solum tunc ratio apprehensionis, & iudicii in actu cognoscendi ex natura rei distinguuntur, quando ex parte potentiae cognoscentis, speciei, aut luminis datur imperfectio, cujus ratione intellectus non statim penetrando connexiones terminorum, eosdem prius simpliciter, confusè tamen apprehendit, & deinde per magis claram manifestationem veritatis iudicat approbando, aut reprobando eorum connexiones; sed in Visione Beata non datur huiusmodi defectus; siquidem potentia illustrata lumine gloriae, & per intimam assistentiam objecti beatifici, non solum videt perfectiones divinas clarè, & distinctè, sed etiam illarum connexiones, & veritates unico intuitu penetrat; ergo in una, eademque cognitione beatifica includitur simul ratio apprehensionis, & iudicii.

Probatur secundò, idè in communi sententia Theologorum, quam doctè probat P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 32. in cognitione Angelica non datur formalis compositio, aut divisio, saltem circa evidentia, ut alibi diximus, quia per lumen naturale, & species à Deo inditas in primo instanti suae creationis adeò perfectè percipiunt objecta, ut & eorum terminos simplices, & connexiones simul penetrent; ergo à fortiori id concedendum est cognitioni Beatificae, utpotè perfectior. Confirmatur, quia non minus clarè ostendit Visio Beata creaturas Beatorum mentibus, quam species, & lumen Angelicum ostendunt Angelo objecta naturalia; ergo &c.

Probatur tertio, quia Visio Beata est perfectissima participatio Visionis Beatificae Increatae, ut omnes Theologi concedunt; sed haec rationes apprehensionis, & iudicii cum omnimoda simplicitate actuali complectitur; ergo & illa. Confirmatur, quia idè nos primò apprehendimus, & deinde iudicamus objecta, quia eadem, ut in se sunt, & quoad connexiones terminorum attingere non possumus; sed id possunt efficere Beati una, eademque simplici cognitione beatificae; ergo &c.

Probatur secunda pars, quia Visio Beata, prout apprehensiva, & iudicativa est, aequipollet nostrae apprehensioni, & iudicio, quae sunt plures perfectiones creatae ex natura rei distinctae; ergo cum simplicitate actuali importat simul complexiorem, seu multipliciter virtuales.

L 2

Og.

77. Oppositum tenent D. Bonavent. & Medina apud Egid. tom. 1. lib. 4. q. 9. d. 3. & alii, quos tacitis nominibus allegat Sot. in 4. dist. 49. q. 3. conclus. 9. §. At verò: pro quibus: Dices: Apprehensio objecti ordine naturæ præsupponitur ad ferendum iudicium de eodem objecto, ita ut oppositum fieri nequeat, etiam de potentia absoluta, prout diximus in Log. tr. 5. d. 2. n. 31. Sed in Visione beata datur vera ratio iudicii, ut proximè diximus; ergo præsupponi debet apprehensio præcedens tale iudicium, ab illoque distincta. Respondeo negando maiorem, si procedat de apprehensione formali, & realiter distincta, de qua tantum locuti sumus loco cit. solum enim quando datur imperfectio ex parte potentia, speciei, & luminis, requiritur, quod apprehensio realiter distincta præcedat iudicium, eique proponat connexiones, & veritatem objecti: in Beatis autem talis imperfectio non reperitur.

78. Instabis: Eodem modo se habet apprehensio ad iudicium, quo se habet iudicium antecedentis ad inferendam conclusionem; & cognitio bonitatis objecti ad actum appetitus & voluntatis; sed neque divinitus inferri potest conclusio sine iudicio præcedente præmissarum; neque dari actus appetitus & voluntatis sine bonitate cognita; ergo neque iudicium sine præcedente apprehensione. Respondeo argumentum, si procedat de iudicio antecedentis in discursu virtuali, non probare illud distinguere à parte rei à iudicio conclusionis, sed solum virtualiter, sicque pro nobis facit, ut consideranti patebit: si autem procedat de discursu formali, tunc datur quidem distinctio realis, ex defectu tamen luminis, qui defectus non datur in Visione beata, ideoque sine apprehensione præcedente distincta unico intuitu iudicat objectum. Cognitio verò bonitatis semper erit realiter distincta ab actibus appetitus & voluntatis, quia potentia, quarum sunt actus, sunt realiter distincta, sicque actus realiter distinctos elicere debent.

79. Difficultas 3. Utrum Visio beata, prout cadit in perfectiones divinas, seu objectum primum, ita necessarium sit iudicium, ut neque de potentia absoluta possit esse pura apprehensio sine ulla inclusione iudicii? Negativè. Probatur primò, quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus cognoscatur intuitivè per apprehensionem, & non per iudicium; ergo sic cognosci potest. Confirmatur quia Deus de facto, & secundum leges ordinarias limitat, & determinat suum concursum ad ostendendum Beatis has potius, quam illas creaturas; ergo etiam absolute, nullà spectatà lege poterit limitare intellectum Beati, ut circa objectum beatificum clarè propositum eliciat apprehensionem puram, & non iudicium.

80. Probatur secundò, quia nulla cernitur implicitantia in eo, quod Deus ita limitet & determinet concursum speciei, & luminis intellectus Angelici naturalis, ut eliciat apprehensionem, & non iudicium; ergo idem poterit efficere circa concursum, & lumen supernaturale intellectus Beatorum. Confirmatur primò, quia Beatus circa objectum secundarium minus clarè, & cum remisso lumine proposito, potest efformare aliquas propositiones, circa quas suspendat iudicium; ergo etiam sic poterit circa objectum primum. Secundò, quia saltem circa veritates contingentes cognitatas in objecto primario visionis, potest Beatus aliquas propositiones apprehensas efformare, circa quas iudicium suspendat ob defectum luminis, & manifestationis objecti; ergo idem poterit circa connexiones necessarias cognitatas in objecto primario,

saltem de potentia Dei absoluta, cum in hoc nulla appareat repugnantia.

Oppositum videntur tenere P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 15. n. ult. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 23. n. 8. Cabrer. 3. p. q. 9. a. 2. d. 5. Zumel 1. p. q. 12. a. 7. q. 2. conclus. 4. & 5. & alii: quorum tamen sententia, cum ab illis non satis exprimitur, mihi videtur explicanda de Visione beata de facto, & secundum legem ordinariam; non autem de possibili, & secundum absolutam Dei potentiam: Pro illis tamen:

Argues 1. Fieri non potest ut intellectus suspendat assensum circa objectum omni ex parte verum; sed tale est beatificum quoad omnia, quæ manifestantur Beato; ergo &c. Respondeo negando maiorem, ut patet ex dictis; siquidem potest Deus impedire concursum essentia, aut luminis quoad virtutem sibi adæquatam, & solvere tantum quoad virtutem inadæquatam.

Argues 2. Visio beata respectu omnium, quæ sunt in Deo, est intuitiva, non solum quoad terminos simplices, sed etiam quoad eorum connexiones; ergo necessarium erit iudicativa. Respondeo dato antecedente negando consequentiam; neque enim de se repugnat visio intuitiva absque ratione iudicii, ut sæpe accidit, quando intellectus operatur circa objecta sibi naturalia.

Argues 3. Visio beata est perfectissima participatio Visionis Increata; sed in hac dari nequit ratio puræ apprehensionis absque ratione iudicii, ut alibi diximus in Log. tr. 5. d. 2. n. 62. ergo neque in illa. Respondeo in Deo dari specialem rationem, ut videre est loco proximè cit. neque necessarium est, quod Visio beata secundum omnem considerationem participet perfectionem Visionis Increata; alioqui esset etiam substantialis, & comprehensiva Dei. Unde satis est, quod rationem illam participet de lege ordinariâ, in quo sensu etiam negavimus loco cit. n. 59. nullam dari virtualitatem purè apprehensivam in Visione beata, quod non tollit quominus oppositum contingere possit de potentia Dei absoluta, ut diximus.

Quæres hic: Utrum Visio beata prædicto modo elicit bearet prout sic totaliter, aut partialiter intellectum Beati? Respondeo ex materia de Beatitudine negativè ob easdem rationes, quibus ibidem probari solet, Visionem Dei, non prout est apprehensiva, sed prout est iudicativa, beare. De hoc tamen suo loco.

Ex dictis colliges primò, Visionem beatam non esse iudicium formale, sicut etiam diximus in Log. tr. 5. d. 2. n. 223. Patet, quia iudicium formale supponit apprehensionem realiter distinctam, & ipsos terminos connexionis apprehensos formaliter, aut conjungit affirmando, aut separat negando; sed Visio beata neque supponit huiusmodi apprehensionem, neque formaliter conjungit, aut separat; ergo &c. Secundò, Visionem beatam esse iudicium virtuale. Patet, quia Visio beata ob suam perfectionem æquivalet apprehensioni, & iudicio realiter distinctis. Deinde æquivalet formali iudicio copulanti prædicatum cum subiecto; ergo &c.